Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Praedicatorum Friburgensium lector - Cod. Ettenheim-Münster 191

Weisser, Philipp

[S.l.], 1628-1929

Dubium decimum

urn:nbn:de:bsz:31-117415

Visual Library

2a est, nec iste homo nullus animal est, nec iste, nec iste. Ergo ambae sunt simul falsae.

R. Has propositiones non esse subcontrarias, quia in subcontrariis servanda est ista conditio, ut communis terminus distributus in una, eodem modo debet distribui in altera, quod debet partialiter variari, ut hic non fit. Non esse subcontrarias.

Dubium Decimum

Quid sint Aequipollentia et Conversio propositionum. §.

Aequipollentia est aequivalentia duarum propositionum iisdem extremis constantium quae sub signorum varia forma mutuo sese inferunt.

Et dicere illas propositiones sunt aequipollentes quia cum habeant idem subiectum et praedicatum, habent et eundem sensum et significationem convenientem diversis signis propositis praefixis, v.g. istae propositiones: non omnis homo est animal, et quidam homo non est animal, sunt aequipollentes, quia in utraque propositione est idem subiectum et praedicatum, idem sensus et significatio, quia omnis efficit illa particula negativa praeposita ei adiuncta.

et etiam

et etiam cum propositio particulari antepenitur et postponitur
negatio: v.g. non quidam homo non est albus, aequivalet
universali affirmativae, omnis homo est albus, per eandem rationem.
Pro intelligenda aequipollentia propositionum danda sunt
quaedam Regulae.
1a Est, Si negatio praeponitur alicui signo universali
aut particulari, tunc illa propositio aequipollet suae con-
tradictoriae, ut ista, non omnis homo est albus, aequipollet
suae contradictoriae, aliquis homo non est albus. Similiter
ista, non aliquis homo est albus, aequipollet huic, nullus homo
est albus, quae est illius contradictoria.
2a Regula. Si alicui signo universali postponitur
negatio, illa propositio aequipollet suae contrariae. v.g.
omnis homo non currit, aequipollet huic, nullus homo
currit. Et ista, nullus homo non currit, aequipollet
huic, omnis homo currit.
3a Regula. Si alicui signo universali vel particulari
praeponitur et postponitur negatio, illa reddit aequipollens
suae subalternae. v.g. non omnis homo non est albus, aequi-
pollet huic, aliquis homo est albus. Et item, non aliquis
homo non est albus, aequipollet suae subalternae, omnis homo
est albus. Et ista, non nullus homo non est albus aequipollet
huic, quidam homo non est albus. et ista, non quidam
homo non est albus aequipollet huic, nullus homo est albus
Ad declarandas vel potius servandas magis istas
Regulas, est illud carmen.
Prae, contradic. post, contra. prae, postque subalter.
CONVERSIO est duarum propositionum cuiuscunque unius ad alte-
ram consequentia per transmutationem ter-
minorum. Vel Clarius.
Est commutatio unius propositionis in alteram per
extremorum commutationem. In Conv.

In Conversione sunt notā duæ propositiones. Convertens scilicet et Conversa.
Conversa est illa, cujus extrema transmutantur. Convertens vero est illa, quæ ex ipsis extremis transmutatis efficitur. Ex quo colligitur clare quod propositio quæ debet converti non manent eadem ut antea. licet eadem extrema maneant; sed in diverso modo et variato sint loco et situ. v.g. nullus homo est animal, nullum animal est homo; ubi propositio conversa non manet eadem, licet extrema maneant, diverso tamen modo posita in ea propositione quæ convertens est.

Conversio sic definita dividitur in 3a membra. In Simplicem. Per accidens et Conversionem per Contrapositionem.

Conversio simplex est commutatio unius propositionis in alteram per transmutationem extremorum manente eadem quantitate et qualitate. v.g. ista nullus homo est lapis. ergo nullus lapis est homo. est conversio simplex. Et vocatur simplex tum quia non mutatur accidens aliquod, tum quia ejus extrema simpliciter solum mutantur. et est quasi est commutatio unius in aliud totum integra v.g. propositio commutatur in aliam integram. Et hac conversione simplici convertuntur propositiones universales negativæ, in universalem negativam, ut in exemplo allato videre est. et particulares affirmativæ in particularem affirmativam. Ut ista. aliquis homo est animal, ergo aliquod animal est homo.

Conversio per accidens est commutatio unius propositionis in aliam per extremorum transpositionem manente eadem qualitate non tamen quantitate.

Ut hoc

Et hac conversione convertitur universalis affirmativa in partem affirmativam. Et universalis negativa in particularem negativam. V.G. Omnis homo est animal, ergo quoddam animal est homo. Rursus nullus homo est animal, ergo quoddam animal est ~~homo~~ non homo.

Conversio per contrapositionem est commutatio unius propositionis in alteram per extremorum mutationem manente eadem quantitate et qualitate, sed mutatis finitis in infinitos. v.g. Omnis homo est animal, ergo non animal est non homo. similiter quoddam homo non est lapis, ergo quoddam non lapis non est non homo. Et hoc modo convertuntur propositiones universales affirmativae, et particulares negativae inter se. ut in exemplo allato patet.

Has tres conversionis modos designant carmina sequentia.

Feci, simpliciter; convertitur eva per acci.
Asto, per contra; sic fit conversio tota.

In quibus versibus notandae sunt illae 3. dictiones. Feci; eva; asto; in quibus inveniuntur 4 vocales. a.e.i.o. a, designat propositionem universalem affirmativam. e. universalem negativam. i. particularem affirmativam. o. Particularem negativam. Unde sunt ista carmina.

Asserit a, negat e. sed universaliter ambo.
Asserit i. negat o. sed particulariter ambo.

Explicatur Carmen. (: Feci :) 1 Denotatur primo his versibus quod propositiones universales negativae, et particulares affirmativae, quae signantur illa dictione, feci, convertuntur simpliciter. v.g. nullus homo est animal, nullum animal est homo. item quoddam homo est animal, ergo quoddam animal est homo.

(: Eva :) 2. Denotatur 2do per illam penultimam eva, quod universalis negativa, et universalis affirmativa convertantur per ~~acci~~ acci

accidens. v. g. nullus homo est lapis, ergo aliquis lapis non est homo. rursus omnis homo est animal. ergo aliquod animal est homo. Per 3. (Asto:)
illam particulam asto, denotatur 3° quod universalis affirmativa, et particularis negativa possunt converti per contrapositionem. ut ista, omnis homo est animal, ergo omne non animal est non homo. rursus quidam homo non est lapis. ergo quoddam non lapis non est non homo. Ubi termini mutantur in infinitos.

Contra ista dicta obiicies 1°. Haec non est bona conversio. nullus senex erit puer, ergo nullus puer erit senex. ergo male diximus quod universalis negativa possit simpliciter converti. antecedens patet, quia conversa est vera, convertens vero videtur falsa.

R. Has propositiones in sensu composito esse simul veras, non tamen in sensu diviso: hoc est dicere. nullus senex in quantum senex, erit puer, ergo nullus puer in quantum puer erit senex, quae utraque vera est.

Obiicies 2°. Haec conversio bona non est, nullus homo est mulier, ergo quaedam mulier non est homo. ergo male diximus quod universalis negativa convertatur per accidens in particularem scilicet negativam.

R. Quod haec conversio non sit bona, quia non servat regulam bonae conversionis per accidens, in conversione enim per accidens debet universalis negativa converti in particularem negativam quod hic non fit. fieret autem si isto modo converterentur. nullus homo est mulier, ergo quaedam mulier non est aliquis homo, quae vera est, et sic tam conversa quam convertens suam veritatem habent.

Obiicies

Obiicies 3º contra Reg: Aequipollentiae. Contradictoriae propositiones nunquam sunt aequipollentes, ergo negatio praeposita signo universali non facit illas aequipollere. consequentia patet, probatur antecedens. Nam si essent aequipollentes tum duae contradictoriae essent simul verae, quod dici non potest.

R. Illam Regulam esse intelligendam non quod contradictoriae inter se aequipollentiam habeant sed quod illae propositiones, quae erant antea contradictoriae, vi postea fiant aequipollentes per negationem praepositam.

Obiices 4º. Istae sunt duae contrariae. omnis homo est animal, nullus homo est animal; et tamen non redduntur aequipollentes, licet negatio postponatur signo universali dicendo omnis homo est animal, nullus non homo est animal ergo 2a Regula de contrariis supra assignata non erit bona.

R. Illam 2am Reg: ita esse intelligendam, ut negatio postponatur signo universali et subiecto per signum distributo, quod in exemplo allato non contingit et ideo non mirum si nullam inter se aequipollentiam habeant, ut vero essent aequipollentes sic deberent poni; omnis homo est animal, nullus homo non est animal.

Dubium Undecimum

Quid sit Propositio Modalis